


IR
Johannis Francisci
De Natali Domini
Carmen.











BOX





DE NATALI DOMINI AC SALVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI,

Carmen, Iohannis Francisci Ri-
pensis Dani, Dicatum Re-
uerendo Collegio Ec-
clesiæ Ripensis.

His adiecta est precatio Erasmi
Seuerini Ripensis.

VVITEBERGÆ.

ANNO,

1553.

D. Jacobo Seuerino
ludi moderatori Rip
dono dedit Johannes
Franciscus amicitiæ
ergo

IOHANNES GEORGIVS VIBERGIVS AD LECTOREM.

MAgna fuit prisco reuerentia tempore Diuum,
Quos hominum finxit uana superstitio.
Gens uenerabatur Romanum martia Martem,
Et Cererem coluit maxima turba suam.
In mare iactati coluerunt numina Persæ
Deliaco dantes aurea dona Deo.
Pallas Athenarum doctarum fama perennis
In summa semper relligione fuit.
Vos quibus eximiæ donant sua munera Musæ,
Ad natum Christum corda leuare decet.
Hac pietate nihil poterit contingere maius,
Nam uero similes nos facit esse Deo.
Felices nimium qui te pie Christe celebrant,
Et quorum de te carmina Musa canit.
Vera Dei soboles æterni patris imago
Christe Palestina uirgine nate Deus:
Qui potis es sæuos stygiæ cohibeto furores,
Ne quid prosternat pectora iusta mali.
Sic tua turba tibi resonabit carmina sancta.
Natalemq; tuum corda beata canent.

Reuerem

Sic tua turba tibi carmina sancta dicet



REVERENDIS COLLEGII EC-CLESIAE RIPENSIS, CA-nonicis, Dominis suis.

S. P. D.

MEns Aeterna Deus sapiens qui cuncta creauit,
Condita conseruans & bonitate sua.
Cum genus humanum periturum funditus esset,
Quod spreuit summi dicta verenda Dei.
Ipse tamen gnatum mirando fœdere massam,
Ex nostra uoluit iungere carne sibi.
Perspicit hæc quamuis nemo miracula, iussit
Nos tamen ex aliqua parte referre Deus.
Ergò ego natalem descripsi carmine Christi,
Namq; etiam infantum vult Deus ore coli.
Ista licet nimium pingui sint scripta Minerua,
Non tamen hæc omni commoditate carent.
Nobilis ac vanis reperitur Gemma lapillis,
Atq; cadus vinum nobile sæpe tenet.
In leuibus uideas sic forsan munera cartis,
Sed quæ pauxillum commoditatis habent.
Splendida pegasidum colitis qui castra sororum,
Et quorum ingenio docta Minerua fauet:
Hæc mea non tristi capiatis munera uultu,
Quæ ueniunt subita præcipitata manu.

In quibus vt studium posco Iuuenile probetis,
Cum pietas animo grata sit ista Deo.
Vilia non prorsus contemnite, cum meliora
Cœlesti Domino dona fauente feram,
Iupiter exiguo placatur thure ministri
Pauperis, ac facili percipit aure preces.
Vos sic dona meæ nunc sumite paruula Musæ,
Pro meritis uestris dum meliora dabit.
Tunc famam uestram celebrabit nostra Camœna,
Offeret & patriæ carmina plura meæ.

VALETE.





CARMEN DE NATALI DOMINI AC SALVATORIS nostri Iesu Christi, Iohannis Francisci Ripensis Dani.

SAlue sancta dies lætis celebranda trophœis,
Qua nobis Christus Virgine natus adest.
Tempus adest sancti quod sperauere Prophetæ,
Et quod sperarunt secula multa Patres.
Dulcia nunc nato resonemus carmina Christo,
Et pulset facilem musa diserta Lyram.
Nobis aoniæ faciles estote puellæ,
Dum canimus summo carmina pauca Deo.
Tuq; iuues nostros conatus optime Christe,
Splendore irradians pectora nostra tuo.
O pie Christe sacrum nobis immitte furorem,
Atq; calore tuo pectora nostra foue.
Sic te prognatum resonabunt carmina nostra,
Crescat & in laudes pagina multa tuas.
Cum uexata malis quondam fuit ipsa uetustas,
Aduentum petijt cernere sæpe tuum,
Primus Adam morsu serpentis læsus acerbo,
Te saluatorem sciuit adesse suum.
Ni superesset ei de te spes una salutis,
Vt premeres sæui fortiter ora lupi.
Magnorum scelerum iacuisset mole necatus,
Esset & in barathri præcipitatus aquas.

Seth pius incensus diuino numine, uerum
    Te fore Rectorem prædicat usq; pijs,
Sanctus Enos recto sequitur nunc ordine patrem,
    Qui crebra Christum uoce professus erat.
Istos quid referam quos Biblia sancta recensent,
    Cernere Rectorem qui cupiêre suum?
Hac spe cœlorum summa uersantur in aula,
    Laudantes natum pectore & ore Deum.
Nos itidem tota Mesiam mente canamus,
    Fundentes summo carmina læta Deo.
Carmina quæ cordis ueniunt ex motibus imis
    (Huic etenim labij murmura nulla placent)
Quòd tandem gnatum quem sperauere parentes
    Olim, de nitido miserit ille polo,
Quem fore fatidici dixerunt sæpe Prophetæ,
    Victorem Satanæ, Christigenisq; ducem,
Quem semper uarijs Ecclesia pressa periclis
    Inuocat, Aeternum credit & esse Deum,
Quid nunc Tartareus faciet mortalibus Orcus,
    Qui Christum vera relligione timent?
Inclitus aduenit nobis ab origine mundi,
    Promissus Patribus qui coluere Deum.
Hic nos eripiet diri de faucibus Orci,
    Horrida serpentis dum premit ora mali.
Morte sua cunctos æterna morte leuauit,
    Exornat quorum pectora vera fides.
Cunctaq; deuicit quæ sanctos lædere possunt,
    Hostibus inijciens fortia frena suis.

Pro

Pro tantis meritis quas grates Christe feremus,
Et tibi quas laudes nostra thalia canet?
Qui modo conuexo placidè descendis Olympo,
Humani generis Christe misertus ades.
Dum loca terreni perlustras infima mundi,
Pro nobis miseris tartara nigra subis.
Qui prius æterno mundum cum Patre creasti,
Ac animantia quæ terra creata tenet:
Nunc placuit fragilem nostram tibi sumere formam,
Vt fieres nostræ conditionis homo.
Atq; Palestina uoluisti uirgine nasci,
Hac quæ Iessæo sanguine nata fuit.
Nam sic per vatem nobis hæc nuncia uerba
Exponit summi filius ipse Dei.
Paruulus é rutilo nobis mittetur olympo,
Aeterno & dabitur de genitore satus.
Huius erit nomen semper mirabile cunctis,
Quippe suum nomen de bonitate trahet.
Hic erit egregius uenturi temporis autor,
Imperium placida cum pietate ferens.
Dauidis solium cunctos retinebit in annos,
Hoc etiam magna sedulitate reget.
Attamen hic magnus celsi regnator Olympi,
Gaudebit uili delituisse casa.
Ecce uaga libra non pendent uerba Prophetæ,
Nec canit ambiguo uerba Propheta sono.
Aduenêre ducis gratissima tempora nati,
Quo nihil immensus fortius orbis habet.
Hic

Hic miseris uoluit notus pastoribus esse,
Pontificum temnens corda profana virum.
Nuncius en domini demissus ab æthere cœli,
Summo, collectis astitit agminibus.
Auricomo splendore greges circumdedit ipsos,
Fulgore ingenti circumeunte viros.
Hi consternati pauidos sensere timores,
Cordaq; suspensi plena timoris erant.
Angelus at Domini præclara voce profatur,
Et tales facili reddidit ore sonos.
O iuuenes menti trepidos auferte timores,
Vestraq; sollicito soluite corda metu.
Nunc etenim vobis annuntio gaudia magna,
Quæ non mortalis lingua sonare potest.
Inclitus æthereis puer est nunc missus ab astris,
Totius mundi qui mala facta luet.
Textilibus pannis uoluuntur membra tenella,
Et iacet in stabulo sub trucis ora bouis.
Angelico iussu pastores tecta subintrant,
Vt Dominum uideant te pie Christe suum.
Mox uenit summi de claro culmine cœli,
Maxima sanctorum copia spirituum.
Copia quæ cecinit nato pia carmina Christo,
Pulsantes tali, plectra sonora, modo.
Gloria, Laus, & Honos tibi sit Deus optime, cuius
Fama stet ad cunctos non peritura dies.
Tu Deus omnipotens solus, Iustißimus vnus,
Omnia sustentas pro bonitate tua.

Nullus

Nullus in hoc patulo mortalis cernitur orbe,
Non comperta cui ſint benefacta tua.
Nam tu regali donaſti munere cunctos,
Chriſtigenas, quotquot munera tanta petunt.
Propterea meritas tibi laudes Chriſte feremus,
Cantemuſꝗ; tibi carmina ducta chely.
Numinibus fictis quales tribuuntur honores
Porcorum fuſo ſanguine, ſiue canum.
Talia diſtorto uenientia munera corde
Deſpicis, & minime talia dona capis.
Nos tibi ſyncero fundemus pectore laudes,
Qui ſcimus quid ſit te coluiſſe Deum.
Lętitia tali complentur pectora noſtra,
Qui cupimus ſceptro Chriſte ſubeſſe tuo.
Nulla Sathan referet funeſti præmia belli,
Inferet & nullis martia bella pĳs.
Namꝗ; potens torui fregiſti colla draconis,
Quem nunc conſtrictum fortia uincla tenent.
Ne faciat rurſus lethalia uulnera nobis,
Qui tibi coniuncti fœdere Chriſte ſumus.
Hæc ô Chriſte tuo meruiſti uulnere mortis,
His qui te Regem te Dominumꝗ; colunt.
Sic vt ab horriferæ ſanatus uulnere mortis,
Quiſꝗ; petat nitidi cœlica regna Poli.
Hic aliud regnum longum quod duret in æuum
Incipies, ſumma Rector in arce Poli:
Fac nos participes cœlorum Chriſte benigne,
Qui puer egregio ſtemmate natus homo es.

Tu genus & radix Dauidis, Sanguine cretus
Ieſſeo, nam ſic biblia ſacra ferunt.
Candida tu rutili lux quæ micat æthere ſummo,
Non ſecus ac claro Lucifer axe Poli.
Tu fons es uitæ cunctis medicamina præbens,
Sanctorum dulci flumine corda rigas.
Es panis præbens uitæ eſurientibus eſcam,
Quo ſine mortalis uiuere nemo poteſt.
Iuſtitia es noſtra, & ſapientia, ſemita recta,
Ad ſuperas ædes qua gradiemur iter,
Tu puer es ſolus uitæ defenſor & autor,
Temporibus cunctis pectora noſtra regens.
Nos igitur placido puer optime reſpice uultu,
Quo puer in mundo ſanctior eſſe nequit.
Nam nos affectu colimus te pectoris imo,
Et canimus laudes tempus in omne tuas.
Pectora noſtra precor ſemper pie Chriſte guberna,
Vt tua perpetuo dicere facta queant,
Vt micat æthereo Phœbus Titanius axe,
Et fulgent nitido lucida ſigna Polo.
Iuſticia Chriſti niteant ſic corda piorum,
Hiberna vt fiant ſplendidiora niue.
Donec poſsideant regnum radiantis Olympi,
Et liceat celſi templa uidere poli.
Tunc æterna quies eſt incipienda piorum,
Queis, Chriſtus Dominus regna parata tenet.
Impius ac ſubito ſtygium tranſmiſſus in orcum,
In Plegetonteas deijcietur aquas.
Et pro

Et pro delitijs tunc tristia multa subibit,
Et capiet rursus gaudia magna pius,
Tunc ô Christe tuam faciem sine fine uidebit,
Cernet & Angelici gaudia multa chori.
I nunc, sterne pios homines ò sæue Tyranne,
In nos nunc frustrà fœda uenena uome.
Erige nunc cristas draco dire, & lumine toruo
Aspice, post Christi sub pede uinctus eris.
Mors truculenta pios stygia uis perdere morte?
Vt te contineas ò scelerate decet,
Vah Papa cœlesti Christum nunc deijce sede,
Hunc ne tuis bullis uis lacerare miser?
Hunc demum patrijs terris depellere tentas?
Atque cruore tuas commaculare manus?
Scilicet æterni Christus propago parentis,
Te minimo digito sternere rite potest.
Hic uirtute sua stygias descendit ad vmbras,
Confringens ualida mœnia ahena manu.
Vt iaceant solido duri sine cardine postes,
Collisis portis munera digna tulit.
Nunc sedet in celso summus regnator Olympo,
Vt teneat placida sceptra beata manu.
Hostes ille potest uel solo uincere uerbo,
Horrida qui cupiunt bella mouere pijs.
Ipse suum semper potis est defendere cœtum,
Saucia dum releuat uulnera morte sua.
O quanta inuadit pectus miratio nostrum,
Intueor summi cum benefacta Dei.

Quid mirum nitidi ſtupuerunt agmina cœli,
    Spirituum, nati facta ſtupenda Dei.
Hæc eadem ſemper mirata Puerpera caſta eſt,
    Quæ peperit uerum uirgo pudica Deum.
Paſtores uiridi paſcunt dum gramine campi,
    Armentum, repetunt tot benefacta Dei.
Sic Simeon ſtupuit dum nato carmina Chriſto,
    Cantans, Diuino pectore uerba ſonat.
O dimitte tuum ſeruum nunc maxime rerum,
    Conditor ut ſacræ tempora pacis agam.
Nam mea uiderunt promiſſum lumina Chriſtum,
    Quem nobis celſo miſeris ipſe Polo.
Lumen ut æternum ſit cunctis gentibus, atq;
    Qui te ſyncero pectore & ore colunt.
Sed tibi quis dignas laudes feret optime Chriſte,
    Quiſue tuis meritis carmina digna canet?
Ergo meum carmen concludens Chriſte benigne,
    Oro tuum ſerues ac tueare gregem.
Vt tibi cantemus ſyncero corde quotannis,
    Laudes perpetuas, carmine, uoce, tubis.

ἐυτυχῶς, συμ θεῷ.

Precatio



PRECATIO DE NATIVITATE CHRISTI, ERASMI SEVE-rini Ripensis Dani.

O Deus omnipotens celsi regnator Olympi,
Soli debetur Gloria summa tibi.
Nos tibi perpetuas fundamus pectore grates,
Cantantes meritis carmina digna tuis.
Quod gnatum rutili nobis de culmine cœli,
Miseris ut ferret crimina nostra tuum.
Et nos peccati uictores, mortis & Orci
Constituet, faciens nos habitacla Dei,
Iusticiam nobis reddat quam perdidit Adam,
Impleat & flatu pectora nostra suo.
Scilicet ille suo uelut omnes crimine perdit,
Sic Christus uitam uulnere restituit.
Posset at ut nostrum crimen detergere, partes
Humanas ueri sumpsit imago Dei.
Hunc ergo casta uoluisti uirgine nasci
Passus es hunc nostra conditione frui.
Post hæc tartareum descendit solus ad Orcum,
Et fregit ualida uincula dura manu.
Hinc uirtute sua superas remigrauit ad ædes,
Victoriæ referens iusta Trophæa suæ.
Hic vbi pro nobis sua sancta precamina fundit,
Atq; facit nostras pondus habere preces.

Te petimus nunc Christe potens, æterna potestas,
Qui potis es uitam reddere morte tuis.
Redde tuis uitam qui te uenerantur, & optant,
Te regem proprium, te Dominumq; colunt.
Hos fac participes cœlorum Christe benigne,
Qui cupiunt solum te coluisse Deum,
Destrue tu barathri fœdissima monstra profundi,
Vt nequeant aliqua parte nocere pijs.
Et Papam tandem de celsa deijce sede,
Vt discat quid sit bella mouere tibi.
Sic tibi Christicolæ cantemus carmina cuncti,
Psallentes summo cantica læta Deo.
Nam nisi tu cœtum conserues optime Christe,
Hunc Sathanas falsa destruat arte, tuum.
Si potuit Stygio prosternere Marte parentem,
Olim qui nulla labe notatus erat.
Nos magis heu fœdo, prosternet crimine læsos,
Tu nisi seruator, tu nisi tutor eris.
Esto igitur nostræ defensor Christe salutis,
Fer populo auxilium Rex benedicte tuo.
Eripe tu Sathanæ tristi de carcere cunctos,
Qui cupiunt sceptro subdere colla tuo.
Sic tua perpetuo celebretur gloria Christe,
Et dentur meritis carmina digna tuis.

FINIS.

8

